











1676.

1. Beermannus, Joh. Christophorus: De jure naturalae
- 2<sup>a, b, c, d</sup> Beermannus, Joh. Christophorus: De indigenatu.  
4 Sept. 1676: 1684.
3. Beermannus, Joh. Christoff: De prodigiis sanguinis.
4. Herold, Jo. Balthal: De fato matrimoniali.
5. Phebus, Joh. Fredericus: De jure indemnitate
6. Phebus, Joh. Fredericus: De rescindendis contractibus nominatis
7. Phebus, Joh. Fredericus: De nomine proprio
8. Rhode, Marcus: De jure riparum.
9. Schoschius, Isaacus: I. De sale II. Disquisitiones libere politicae XXV. et Nicolao Machiaveli lib. XII historiae Florentinae (pars 2. deest)



- 10<sup>a</sup> <sup>26</sup> Schultze, Petrus : Jus commendationis.
11. Schultze, Petrus : De argentaria judiciali.
12. Styrkius, Samuel : De salvo jure principis —
13. Styrkius, Samuel : Jus principis extra territori-  
 Forum . . .
14. Styrkius, Samuel : De baculis fissis
15. Valandus, Godefridus : Acquisitionum Praenotian-  
 tium interpret, Gemini sensus Distinctionis  
 inter jus gentium et civile index . .





NATURE,  
 JOHANNES MAGNUS BECHMANN  
 Prof. Publ.  
 Glogovia





10

Schulze, Petrus: Jus communis

11

Schulze, Petrus: De negotiis juris

12

Hydus, Samuel: De salute juris principis

13

Hydus, Samuel: Jus principis salutis terrarum

Torsten

14

Hydus, Samuel: De locis juris

15

Katzen, Augustus: Institutiones

juris civilis, generalis status

inter ipsos gentium et civitas





1716. 8. 10. 4.  
1676/6  
DISPUTATIO INAUGURALIS  
DE

# RESCINDENDIS

CONTRACTIBUS NOMINATIS,

QUAM

EX DECRETO ET AUTORITATE MAGNIFICI  
LECTORUM ORDINIS

IN ILLUSTRIS ACADEMIA VIADRINA.

PRÆSIDE

DECANO SPECTABILI

Dn. JOH. FRIDERICO RHETIO,

LECTO, Serenissimo ac Potentissimo Brandenburgico ELE-  
CTORI à Consiliis, Ordinario Facultatis Juridicæ  
Decret. & Juris Publ. Profess. Publ.

Dn. PATRONO ac PROMOTORE SUO MAXIME

DEVENERANDO

PRO LICENTIA

SUMMOS IN UTROQUE JURE HONORES AC PRIVILEGIA  
DOCTORALIA RITE ac LEGITIME  
CONSEQUENDI

*Publico Eruditorum Examini*

*submittit*

IN AUDITORIO JURIDICO

JACOBUS LINDICKE,

LUBEN. LUSAT.

*Ad d. 6. Nov. boris ante 5 pomeridianis.*

Prelo Wichorns.



REVERENDISSIMO Atq; SERENISSIMO PRIN-  
CIPi ac DOMINO.

DN. CHRISTIANO,  
DUCI SAXONIÆ, JULIÆ, CLI-  
VIÆ ac MONTIUM, POSTULATO AD-  
MINISTRATORI EPISCOPATUS MAR-  
TISBURGENSIS, LANDGRAVIO THU-  
RINGIÆ, MARCHIONI MISNIÆ ET U-  
TRIUSQUE LUSATIÆ, COMITI MARCÆ  
ET RAVENSBERGÆ. DYNASTÆ RA-  
VENSTEINII. &c. &c.

PRINCIPI ATQ; DOMINO MEO  
CLEMENTISSIMO.

Regi



**R**Egi Phalaridi amicum  
intimum fuisse historiae tradunt, qui mul-  
torum vitiorum in Epistolâ quadâ Regem  
accusare non dubitavit, vel maximè verò hoc re-  
prehensione dignum esse scripsit, quod à subdito-  
rum suorum conversatione Rex planè abhorre-  
ret. Quæ reprehensio Regi primo quidem intuitu  
dolori, postea quam verò ad se rediit, singulari fuit  
lætitiæ, siquidem ipsum non latuit, potio-rem esse  
benevolam amici objurgationem, quàm simulatâ  
inimici adulationem. Quò verò amico constet, vi-  
tia ab ipso enumerata verè vitia non esse, Rex Pha-  
laris in hæc verba rescripsit: Quod me conversati-  
onem subditorum fugere homines dictitant, ve-  
rum dicunt: Nam quoties domum meam veni-  
unt, non tam exhilarandi mei, quàm in usum suum  
aliquid à me petendi & auferendi gratia accedunt.  
Quæ ratio loco exculationis posita, licet sit Regis  
Tyrannici, quin tamen à Principibus etiam Chri-  
stianis hodierno adhuc die subditis, imprimis ve-  
rò scripta sua offerentibus nonnunquã objici pos-  
sit, nullus dubito: Plerorumq; enim disputationes  
suas Principibus offerentium quis quælo est sco-  
pus, quàm ut non tantùm eruditionem suam ex-  
hibeant, sed etiam honoraria à Principibus elice-  
ant, suaq; esurientia impleant marcupia? Hæc cū



posuerim, non paucos esse puto secum quæsituros, quid causæ sit, cur & ego disputationem meam  
TIBI CLEMENTISSIMO PRINCIPI obtulerim? Obtestor sanè, oblationem hanc ob dictas causas minimè fieri: Eruditionem enim meam (cum nulla sit) exhibere non potui: Lucrum verò quoddam à TANTO PRINCIPE expectare levidentis disputationis ratio non admittit. In eo igitur causa oblationis unicè est posita, ut non tantum per hanc levem opellam officia mea, si quæ in futurum à me sunt speranda, TIBI CLEMENTISSIMO PRINCIPI Subjectissimè offeram, sed & quod superest obsequii, brevi sed pio conteste voto: Vigeeas SERENISSIME PRINCEPS per annos quam plurimos; Crescat in dies SERENISSIMA TUA familia, & crescat simul Lusatiae nostræ Felicitas, id quod cordicitus exoptat

SERENITATI TUÆ.

*Subjectissimus Servus*

Jacobus Lindicke /

Luben. Lusat.

PRÆ-







## PRÆLUDIUM.

**C**oncessâ mibi à Viadrina hujus Jctorum ordine pro Gradu disputandi facultate, materiam juris tam antiquam, quam in foro frequentatam eligendam censui. Antiquam enim materiam contractuum esse nemo fortè negabit. Licet enim hominibus in simplicitate, mutuaque charitate viventibus omnia essent communia, nemoque quid proprii, nisi ratione usus, haberet, aucto tamen genere humano, crescenteque malitiâ hominum, communi gentium voluntate & consensu terræ in gentes familiasque, usu & necessitate humana sradente, dividi ceperunt, rerumque dominia sunt introducta, ita, ut nemini invito id, quod ex jure domini possidebat, auferri licitum esset, l. ii. ff. de Reg. Jur. Posteaquam verò eveniebat, ut, quod alteri supererat, alteri deesset, l. i. pr. ff. de Contr.



empt. statim certi contractus, sine quibus com-  
mercium inter omnes gentes exerceri non pote-  
rat, primò à jure gentium §. 3. in f. J. de J. N.  
G. & C. l. 5. ff. de J. & J. postea verò ex ratione  
quadam civili nonnulli civiles contractus, sine  
quibus commercia inter gentes exerceri poterant,  
sunt adinventi arg l. 6. ff. de J. & J. Et ita an-  
tiquitatem hujus materiae breviter deduxisse suffi-  
ciat. Quantoperè autem hæc materia in foro a-  
gitetur, pluribus deducere supervacaneum erit, si-  
quidem omnibus in judiciis versantibus id notum est  
& exploratum. Hinc universam materiam de  
Contractibus pertractare primò decreveram, sed  
cum disputationem huic materiae & tractationi non  
sufficere viderem, protinus mutavi consilium, de-  
que Rescissione Contractuum Nominatorum tan-  
tùm agere institui. Et hæc sunt, quæ Tibi. B. L.  
DEO benè juvante exhibebuntur. DEUS mihi  
vires suppeditet, ac finem ex Sententia ut assequar,  
clementissimè concedat.

I.N.J.



CAP. I.

CONTINET.

Explicationem Rubricæ.

§. I.

**U**T breviter hoc in capite rubricam disputationis nostræ tractemus, sciendum est, vocabulum Rescisionis derivari à verbo Rescindere, quod est compositum à Re & Scindo [antiquitus Scido, prout tradit Lexicographus Calvinus,] & idem est, ac solvere id, quod vinculo aliquo est ligatum, sive ejusmodi solutio fiat mediatè, sive immediatè ipso jure.

§. 2. Dupliciter autem capitur vocabulum Rescindere in jure nostro, vel propriè vel impropiè: Propriè **1.** [quam acceptionem & nos habebimus] capitur de actibus ipso jure subsistentibus, & hinc est, quod Dd. ex *l. 5. de Injust. rupt. testam.* probent, actus ipso jure nullos rescissione non indigere. Impropiè usurpatur de actibus seu **2.** negotiis ipso jure nullis, uti exemplum habemus in *Nov. 15.* ubi Imperator Justinianus certam formam strictè observandam exheredationi præscripsit: Jam notum est, omnem actum formâ non servatâ esse ipso jure nullum, & tamen Imperator *cap. 3. d. Nov. in fine* utitur verbo *Rescindere*, his verbis; Ea omnia jubemus adimpleri, & dari illis, quibus fuerint derelicta, & tanquam in hoc non *Rescissum* obtineat testamentum.

§. 3. Contractus derivatur à Contrahere, quod idem est, ac Contra, Vicissim, & mutuò trahere, secundum *Calvinum* in Lexico suo.

§. 4. Tripliciter vocabulum Contractus in jure nostro accipitur. **1.** Latissimè & impropiè pro quolibet  
fa cto



facto obligatorio: Et ita comprehendit quasi contractus *l. 23. ff. de Reg. Jur. pacta legitima p. l. 20. ff. de Jud. imò delicta l. 52. ff. de Re. Jud. 2.* Latè & propriè pro vero contractu, uti in *l. 22. de Præsc. verb.* & in hac significatione tot ferè inveniuntur definitiones, quot dantur Dd. Nos retinemus definitionem *Frantzck. in Comm. ad ff. de Pact. n. 30.* quod sit modus obligandi propriâ vi producens actionem. 3. Propriè, sed strictius pro certâ specie veri contractus, ut in *l. 19. de V.S.*

§. 4. Omnes divisiones contractuum apponere supervacaneum erit, sufficit facere mentionem divisionis in contractus nominatos & innominatos, imprimis, cum de prioribus tantùm agere sit nostri instituti. Dicuntur autem nominati à nomine suo speciali & discretivo; Licet enim innominati etiam nomen habeant, ejusmodi tamen nomen est tantùm nomen generis, adeoque æquivocum & confusum: Neque quis opinetur, quod eorum efficacia obligationem scilicet statim producendi sit posita in nomine tantùm, tanquam re extrinseca & accidentali, sed potius in forma singulari, quatenus jura nonnullas conventiones à reliquis hâc ratione distinxerunt. Innominati dicuntur qui non quidem nomen, sed tamen causam habent, & hinc differunt à nudo pacto, quod nequî nomen nequè causam habet. Tantum de explicatione Rubricæ.

## CAP. II.

*De*

# Validitate Contractuum.

§. I.

**D**iximus *cap. præced. §. 2.* quod vocabulum Rescisionis propriè accipiatur de contractibus ipso jure subsistentibus



tibus, pauca igitur de validitate contractuum differere, non erit inutile, quod verò commodius fieri nequit, quàm, si à contrariò videamus, quinam contractus sint ipso jure nulli: Quod ut expediamus, tria nobis veniunt consideranda, nempe, Subjectum, Objectum & forma.

§. 2. Ratione subjecti seu personarum contrahentium haud subsistit contractus celebratus 1. à furioso, quàm tali, ob defectum intellectus. *l. 1. §. 12. ff. de O. & A.* Si verò I. intervalla habet, quin tempore intermissionis contrahere valeat, nullum est dubium per *l. 12. §. 2. ff. de Judic. & l. pen. C. de Cur. fur.* Nonnunquam tamen fingitur consentire, uti in *l. 2. §. 2. solut. matrim. l. 25. C. de Nupt. & astringitur, ubi ex re actio venit l. 3. §. 5. de Neg. gest. l. 46. de O. & A.* 2. Ab infante, *d. l. 1. §. 13. de O. & A.* 3. A muto & furdo, *d. l. 1. §. 14. & 15. de O. & A.* 4. A prodigo juridicè 2. tali. *l. 1. §. 6. & 10. ff. de Curat. fur.* 5. A pupillo pubertati proximo sine tutoris autoritate per *l. 189. de Reg. Jur.* Li- 3. cet enim naturaliter obligetur quoad actum primum & personam suam *l. 84. §. 1. de Reg. Jur.* effectivè tamen, & civiliter, seu ut personæ ejus obligatio noceat, non obligatur per *l. 59. de O. & A. & l. 41. de Cond. indeb.* quoniam & hoc casu obligatio considerari debet, non, quatenus in naturâ sua se habet, sed quatenus à jure civili, penes quod est ejus rei potestas, est conformata: Hinc non absurdè dicitur, pupillum certo respectu naturâ non debere, licet in veritate naturaliter sit obligatus. *Bachov. ad Tr. vol. 1. disp. 6. tb. 5. lit. B.* Quod enim naturaliter pupillus obligatus sit, apparet ex *l. 95. §. 4. de solut. & l. fin. ff. de Jurej.* Dantur tamen tres casus, quibus pupillus pubertati proximus sine tutoris autoritate efficaciter obligatur, & qui- 4. dem. 1. Si pupillus dolo quid committat per *l. 1. §. 15. Depos.* 2. Si actio sit ex re. *l. 46. de O. & A.* & 3. Si factus sit locupletior, quo ultimo casu non civiliter, sed ob natura-

B lem



lem obligationem actione dativa ex Rescripto D. Pii con-  
 veniri potest per *l. 3. Commod. & l. 5. de Autor. tut.* Nec  
 obft. quod etiam ante dictum Rescriptum infans locuple-  
 tior factus teneatur? Nam Resp. hoc fieri ex alio funda-  
 mento, nempe quod nemo cum alterius damno locuple-  
 tari debeat per *l. 14. de Cond. indeb. l. 17. §. 4. de Instit. act.*  
 Hic verò est quæstio, an pupillus ob consensum suum o-  
 bligari possit? & Resp. Quod sic: Imperator enim, licet non  
 novã constituat obligationem, pupillĩ tamẽ obligationem  
 rescripto suo ad agendum reddit efficacem. 6. A minore,  
 5. qui, licet se suamq; personam ad faciendum fortẽ obligare  
 possit per *l. 101. de V. O. l. 8. C. de Nupt.* tamen, si curatorem  
 habeat, sine ipsius consensu contractum dominii translati-  
 vum celebrare nequit per *l. 3. C. de in integr. restit.* Si verò  
 curatorem nõ habet, contractus quidem ipso jure subsistit,  
 sed datur restitutio in integrum. *Trentac. lib. 2. Tit. de Mi-  
 nor. res. l. 1. n. 21. & seqq.* 7. A muliere, quæ licet de jure  
 6. civili absque ullo curatore contrahere queat, per *l. 6. C. de  
 Revoc. donat. l. 12. C. de Pignor.* de Jure tamen Saxonico nul-  
 lum contractum sine consensu curatoris celebrare potest,  
 sed est talis contractus ipso jure nullus per *Constit. Sax. 15.  
 p. 2.* licet juramentum accesserit. *Carpz. ad d. Const. D. 1.  
 vel intra tempus decennale contractus impugnatus non  
 fuerit. Def. 5.* Imò sine curatoris consensu ne quidem su-  
 per debito soluto quietantiam facere *Moll. ad d. Const. n. 52.*  
 benẽ tamen solutum ab ipsã repetere potest. *Berl. p. 2. con-  
 cl. 17. n. 114.* 8. A Filiofamilias & servo, qui, licet cum ex-  
 7. traneo contrahere, ac alteri acquirere possint, cum patre  
 tamẽ & Domino contrahere nequeunt *l. 2. ff. de Contr. empt.  
 §. Item inutilis. J. de Inutil. stip.* Exceptio est quoad filium-  
 familias in contractibus initis. 1. de bonis castrensibus  
 & quasi *l. 2. C. de Cast. pecul. l. 6. C. de bon. qua liber. l. 2.  
 de Contr. empt.* 2. De bonis adventitiis, in quibus filius-  
 fami-



familias plenam habet proprietatem *l. 6. §. auth. seq. & arg. l. 7. C. de bon. qua. liber. 9.* A praeside vel alio iudice contractus initus non subsistit per *l. un. C. de Contr. Jud. 8.* Excipiuntur tamen iudices perpetui, quorum potestas magis circumscribi solet. *vid. Dn. Brunnem. ad d. l. unic.* ubi testatur hanc materiam ab usu recessisse.

§. 3. Diximus, quâ ratione contractus ratione personarum sint invalidi. Nunc paucis dicendum, quando sint invalidi ratione objecti seu rerum, inter quas & facta comprehenduntur. Respectu rerum contractus est in validus, si scilicet: res deducuntur in contractum, quæ **1.** non sunt in rerum naturâ, neque actu neque potentiâ **1.**  
**2.** Quæ quidem sunt in rerum naturâ, sed non in commercio §. 7. 7. *de Rer. divis.* **3.** Quæ quidem sunt in commercio, sed alienari prohibita. *vid. tot. tit. ff. & C. de Litig. pr. 7. Quib. alien. lic.* Quæritur hic, an contractus sit invalidus, in quem res aliena deducitur? Resp. Quod sic in iis contractibus, qui continent obligationem dandi, h. e. domini transferendi, ut in mutuo, quod datione rei alienæ non contrahitur. *l. 2. §. 4. de Reb. cred.* Ratione factorum contractus est invalidus, in quem facta deducuntur impossibilia vel naturâ §. 10. 7. *de Inut. stipul.* **2.** vel Jure *l. 15. ff. de Condit. instit.*

§. 4. Denique ad contractus validitatem requiritur, ut forma cujusque contractus non tantum absolute & in genere, sed etiam omnia substantialia seu partes essentielles & nonnunquam certa quoque solennia observentur. Sic licet emptionis & venditionis ratio formalis consistat in solo consensu, insuper tamen requiruntur **1.** merx & pretium, tanquam partes essentielles, quin imò, si à minore bona immobilia vendantur, certæ solennitates **2.** ex *l. 6. C. de Præd. minor.* adhiberi debent, aliàs his omissis contractus non subsistit. Et hæc sufficiant de Validitate



contractuum; jam ad rem ipsam, quomodo scilicet quilibet contractus ipso jure subsistens rescindi possit.

### CAP. III.

DE

## RESCINDENDO MUTUO.

§. I.

- M**utuum variis rescinditur modis, qui sunt vel generales, omnibus ferè contractibus communes, vel speciales mutuo tantum competentes. Primus modus generalis est solutio, vel latè, quatenus omnem satisfactionem continet, quæ juxta cujusque obligationis substantiam liberationem à nexu affert *l. 54. ff. de Solut.* vel strictè sic dicta, pro præstatione ejus rei, quæ debetur, quæ iterum est vel naturalis, vel repræsentativa, hæcque talis vel ratione objecti, vel ratione modi: Ratione objecti, cum aliud pro alio volenti creditori solvitur, uti fit in datione in solutum *l. 29. C. de Evict.* Ratione modi, uti est solennis obsignatio & depositio, confusio &c. de quibus infra. Ut verò substantia mutui per solutionem naturalem rescindatur, necesse est, ut mutuarius oportuno loco *l. 39. de Solut.* & debito tempore *l. 122. de V. O.* restituat res fungibiles non easdem in specie, sed alias ejusdem naturæ & qualitatis *pr. 7. Quib. mod. re contr. obl.* Hinc quaritur,
1. An mutuum resolvi possit, si non eadem pecuniæ mutuatæ forma restituatur? Resp. Quod sic: Solutio enim in aliâ monetâ, quàm quæ mutuo data est, fieri potest. *l. 99. de Solut.* modò ejusdem sit bonitatis & valoris. *Zang. c. 1. p. 3. n. 161.* Recte igitur pro aureis vel thaleris mutuo acceptis alia moneta solvi potest, quia in mutuo non ipsa corpora, sed æstimatio nummorum credita censetur *l. 19. §. 2. de*
  - 2.
  - 3.
  4. *Cond. indeb.* Imò auri & argenti pondere licet præmisso,  
pe-



pecunia tamen numerata solvi potest. *Carpz. p. 2. C. 29. D. 1.*  
Si tamen moneta planè minuta, uti nummi & obuli sol- 5.  
vantur, creditor ultra 25. florenos accipere non est obstri-  
ctus, uti patet ex Ordin. de Monet. Imper. Ferdin. An. 1559  
promulgata. *Zanger. d. l. n. 164. & 165.* Eadem quoque spe- 6.  
cies est reddenda, si ita convenerit, d. Ord. Ferd. §. die ist.  
*gemeidten Verf. Aber was Carpz. p. 2. C. 29. D. 4.* Quæ pro-  
missio etiam colligitur ex verb. *Er wolle die Zahlung thun*  
*an obgedachter Münze. Carpz. d. l. Def. 5.* Quod si mo-  
neta sit mutata, semper respiciendum ad tempus contra- 7.  
ctus per *Const. Sax. 28. p. 2.* Denique, ut per Solutionem 8.  
mutuum rescindatur, requiritur, ut personæ tam ad sol-  
vendum, quàm ad solutionem accipiendum sint habiles.  
Notum enim est, pupillos & minores sine tutoris & cura- 9.  
toris autoritate solvere non posse, sed licitum ipsis est so-  
lutum vindicare, nisi pecunia, quam verè debuit pupillus,  
à creditore sit consumpta per *l. 14. §. f. de Solut.* Pari ratio-  
ne nec liberatur debitor pupillo sine autoritate tutoris & 10.  
minori sine consensu curatoris mutuum solvens *l. 15. de*  
*Solut. l. 46. §. 5. de Adm. tut.* nisi debitor probet, pecuniam  
solutam adhuc extare, seu in utilitatem pupilli versam  
esse. *l. 47. de Solut. §. f. J. Quib. alien. lic.* Et licet per so- 11  
lutionem pupillo cum tutoris autoritate factam mutu-  
um ipso jure rescindatur d. §. f. tamen, si pecunia sit per-  
dita vel malè consumpta, minor habet restitutionem in  
integrum *.l. 1. c. si advers. solut.* ad quam restitutio- 12  
nem impediendam necesse est, ut decretum judicis solu-  
tionem præcedat d. §. f. adeò, ut nec sola judicialis quieta-  
tio sufficiat, nisi judicis decretum solutionem præcesserit  
per *l. 7. §. 2. ff. de Minor.* ubi etiam habetur casus, quod  
si prætor decernat solvendam pecuniam minori sine cura-  
toribus, minori restitutio non competat.

§. 2. Jam ad solutionum surrogatarum species

B 3

acce-



accedamus, quarum prima est Aquiliana stipulatio & acceptilatio; Licet enim per acceptilationem obligationes verbis tantum contractae resolvantur, si tamen mutuum per novationem prius deducatur in Aquilianam stipulationem, nihil obstat, quò minus deinde per acceptilationem tolli possit per §. 2. *7. quib. mod. toll. obl.*

§. 3. Resolvitur contractus mutui per compensationem tanquam speciem solutionis *l. 19. ff. de Liber. caus. l. 4. ff. qui potior. in pign. & quidem ipso jure l. 4. 10. 21. de compens.* licet temporibus D. Marci in judiciis strictis compensatio per exceptionem tantum induceretur. §. 30. *7. de Action.* Ut verò compensatio in genere locum habeat, requiritur 1. Ut utrinque sit debitum; Semper enim necesse est, ut is, qui compensare vult, sit debitor illius, cui compensationem opponit, & contra. Utuntur ergò compensatione non tantum debitores, licet se soluturos juraverint, & tempore juramenti praestiti mutuum debitum nondum adfuerit, *Diss. Hahn. ad Wesf. de compens. n. 10.* sed etiam fidejussores, qui à creditore conventi ex causa fidejussionis compensare possunt id, quod vicissim debet creditor debitori principali *l. 4. & 5. ff. de compens.* Imò filii familias *l. 9. d. Tit. Correi debendi*, qui sunt socii *l. 10. de Duob. reis.* & Cessionarii. *Frantzk. 1. Res. 13.* Subjectum passivum, contra quos datur compensatio, sunt omnes creditores, imò fiscus *l. 1. c. de compens.* Exceptiones tamen nonnullae habentur *in l. 3. & 7. c. dict. Tit.* ubi compensatio adversus fiscum non admittitur. 2. Requiritur, ut res compensanda sit generis cum genere eodem *l. 4. & 5. de compens.* ejusdem qualitatis & bonitatis *l. 4. c. d. Tit.* & functionem ad minimum genericam recipiat: Si igitur hinc inde centum equi debeantur in genere seu indeterminatè in individuo, admittenda erit compensatio; Licet enim equi non talem admittant functionem, ut in  
mutuo,



mutuo, aut in rebus pondere, numero & mensura constantibus, tamen est functio generica. 3. Requiritur, ut debitum sit tale, quod debitor à petitore exigere queat 3. per *l. 108. de V. S.* Hinc debitum conditionale, & quod in diem debetur, pendente conditione & ante diem invito creditore compensari nequit *l. 7. ff. de compens.* Quæritur hic, an naturale debitum compensari possit? Resp. 4. Aff. per *l. 6. ff. de Comp.* Nec obst. *l. 2. c. d. Tit.* Loquitur enim de obligatione naturali, quæ jure positivo per exceptionem perpetuam elidi potest, quo in casu compensatio locum non habet, *l. 14. ff. de Comp.* Deinde quæritur, An etiam debitum litigiosum in compensationem veniat? Quod itidem affirmatur per *l. 8. ff. d. Tit.* Ratio additur in *d. l. 8.* ne quis agendo deteriorem faciat suam conditionem. 4. Requiritur, ut debitum sit liquidum, 6. per *l. f. §. 1. c. de Comp.* vel ex confessione adversarii, vel ratione celeris probationis *d. §. 1. vers. hoc itaq. iudices.* Tempus autem celeris probationis licet communiter arbitrio iudicis relinquatur *Berl. p. 1. c. 23. n. 10.* de jure tamen Saxon: nullum est dubium, quin sit terminus peremptorius sex septimanarum & trium dierum, uti probat *Carpz. p. 1. C. 8. Def. 13.* Tunc autem hæc probatio admittitur, si exceptio compensationis initio litis est opposita; Nam si opponatur in ipsa executione, uti fieri potest, non admittitur, nisi per confessionem aut per instrumentum in originali productum & recognitum statim fiat liquida. *Carpz. d. l. D. 14.* Licet autem omnia requisita ad- 7. sint, tamen compensatio locum non habet. 1. in deposito, sive sit illud verum, sive confessatum, per *l. Pen. C. de pos.* 2. In spolio; Spoliatus enim ante omnia est restituendus. *l. 7. C. de Vi publ.* Plura quidem de compensationis exceptione in iudicio proponendâ differere possem, sed ne disputationis fines transgrediar, remitto lectorem



Storem ad Dn. Mevium in Decis. suis, ubi fusè hanc materiam tractat.

- §. 4. Rescinditur mutuum ipso jure per confusionem, quæ nihil aliud est, quàm crediti cum debito in una eademque persona mutua consolidatio, quæ fit per aditionem hæreditatis, si scilicet creditor debitoris, vel debitor creditoris, vel tertius utriusque hæreditatem adeat per *l. 95. §. 2. de Solut. l. 2. C. eod.* Resolvitur autem
1. tem mutuum pro eâ tantùm parte, pro quâ defuncto succeditur per *l. 7. C. de Neg. gest. ibiq. Dn. Brunnem.* in reliquum verò manet salvum *d. l. 7. §. 1. l. 50. ff. de Fidej.*
  2. Potest tamen confusio impediri 1. Per pactum, uti patet ex *l. 7. C. de Pact.* ubi creditor, qui debitori successit, hæreditatem aditam possessori victo eâ conditione relinquit, ut sibi & cæteris creditoribus satisfaciat, quod pactum valere dicitur *in d. l. 7.* 2. Potest impediri confusio ab hærede per confectiouem inventarii *l. f. §. 9. C. de Jur. delib. Hartm. Pist. Lib. 2. p. 1. qv. 13. n. 15. & qv. 14. n. 23.* Inventarium enim ponit hæredem in eum statum, ac si nunquam adisset hæreditatem: Si verò quis revocabiliter hæres existat, non fit confusio, sive inventarium fecerit, sive non: Hinc hæres fideicommissio gravatus potest tempore restitutionis adveniente id, quod testator ipsi debuit, deducere, & jure retentionis uti, secundum *Peregrin. de Fideicommiss. art. 7. n. 20.* Quæritur hîc, cum de Jure Saxon. deficiente inventario permessa sit jurata specificatio, an hæres per juratam specificationem confusionem impedire possit? Negat hoc *Zang. de Except. cap. 9. n. 40.* Sed affirmamus cum *Carpz. p. 3. C. 33. D. 19.* Ratio, quia jurata specificatio ex natura surrogationis idem operatur, ac solenne inventarium; Et semper putavi, majorem fidem tribui posse juratæ specificationi, quàm inventario; In hoc enim facilius quid omitti potest, quàm in dictâ specificatione ob
- ter



terrorem juramenti, cur igitur non idem operari debet?  
Nec obstat, quod statuta correctoria strictè secundum jus  
commune sint interpretanda: nego enim, quod hoc in ca-  
su jus Saxon: planè corrigat jus commune, sed potius præ-  
ter j<sup>o</sup> commune quid statuit, seu juri communi quasi quid  
addit, id quod patet ex eo, quia etiam jure communi hæ-  
res, si inventarium sit dubium, jurare debet per *l. f. §. 10. C.*  
*de Jur. delib.* Quin confusio actionum etiam fidejusso- 4.  
ribus profit, nullum est dubium, cum sublata obligatione  
principali tollatur & accessoria per *l. 178. de Reg. Jur.*

§. 5. Ipso jure rescinditur contractus mutui per  
novationem strictè sic dictam, quæ est prioris debiti in  
aliam obligationem transfusio *l. 1. de Novat.* Non autem 1.  
loquimur de necessaria, quæ fit per litis contestationem,  
aut sententiam, siquidem per illam prior obligatio non  
tollitur. *l. 11. ff. de Pignor. act. l. 13. §. 4. de Pignor. & l. 2. C.*  
*de Judic.* Sed de voluntariâ, in quâ hodiè expressè ani- 2.  
mus novandi requiritur. *l. f. C. de Nov.* Qui si non adfue-  
rit, vetus consistit obligatio, & nova ei accedit *d. l. f.* Ne-  
què verum est, quod, ubi non est expressus animus, no-  
vatio tamen locum habeat ope exceptionis, si quidem  
verba *d. l. f.* directò obstant. *Frantz. Exerc. 11. qu. ult.* 3.  
Hinc nec conjecturæ evidentes ad inducendam novatio-  
nem sufficiunt *Mev. p. 1. Dec. 338. n. 1.* Per jam dictam no- 4.  
vationem omnis obligatio, quæcunque præcesserit, sive  
naturalis, sive civilis, sive verbis, sive re, sive consensu ini-  
ta perimi potest *l. 1. de Novat.* imò pignora & hypothecæ  
liberantur, & usuræ non currunt. *l. 18. de Novat.* Sed quid  
dicendum de obligatione literarum, cujus mentionem 5.  
Ulpianus in *d. l. 1.* non fecit, an & illa novari potest? Af-  
firmat *Zanger cap. 5. p. 3. n. 36. & seq.* Rationem autem, cur  
obligatio literarum in *d. l. 1.* sit omissa, assignat hanc, quod  
post biennium obligatio nascatur ex re, & scriptura sit  
tantum probatio obligationis re contractæ *l. 4. ff. de Fid.*  
C Instrum.



*Instrum.* Quæ verò ratio vix subsistere potest; Post biennium enim non fit obligatio ex re, sed efficax obligatio ex literis, unde & dicitur obligatio literarum: Rectius fortè dici posset, Ulpianum omisisse obligationem literarum, ob cognationem, quam quasi habet cum mutuo tanquam contractu reali, sine præcedente enim mutuo non potest post biennium obligatio literarum adeò esse efficax, quin  
6. exceptio non numeratæ pecuniæ opponi possit. *Quari-*  
tur, an debitum conditionale, vel quod ad diem debetur, novari possit? *Affirm. per l. 8. §. 1. de Novat.* Licet enim novatio perfecta non sit, sed pendeat ex eventu conditionis per *l. 213. de V. S.* tamen obligatus est promittens, *l. 5. de Nov.* Denique notandum ad novationem hodiè non requiri stipulationem, sed sufficere nudum pactum deliberatum *Habn ad Wes. de Novat. n. 9.*

§. 6. Accedo ad delegationem, quâ contractus mutui rescinditur §. 3. 7. *Quib. mod. toll. obl.* Est verò delegatio propriè sic dicta nihil aliud, quàm novi debitoris  
1. substitutio facta creditori volenti *l. 11. de Novat.* Fit autem hæc delegatio respectu delegati & creditoris, cui delegatur, per stipulationem, quia is, qui delegatur, non modò consentire, sed & stipulanti creditori promittere debet. *per l. 1. C. de Novat.* Respectu autem delegantis  
2. fit delegatio nudo consensu, qui ex nutu, scriptura, gestibus vel quibuscunque signis colligi potest. *l. 17. de Novat.* Simulatque enim debitor creditori alium debitorem delegat, & creditor, cui delegatur, consentit, & is, qui delegatur, stipulanti creditori promittit, perfecta est delegatio, nec à delegante mandatum revocari potest, cum res amplius non sit integra *arg. l. 24. ff. de Neg. gest.* nec creditor, si delegatus non sit solvendo, contra delegantem vel fidejussores habet regressum, cum delegatum debitorem admittendo bonum nomen fecerit *per l. 26. §. 2. ff. Mand.*



*Mand. nec delegatus cum exceptionibus suis, quas contra delegantem habuit, admittendus est, si eas creditori opponere velit per l. 12. § 19. de Novat. Dicitur enim in d. l. 12. Si delegatus sciens exceptionem omiserit, donare videtur, si per ignorantiam, creditor suum tamen recipit, & in d. l. 19. fortior adhuc assignatur ratio, quod in privatis negotiis non facile petitor scire potest, quid inter delegatum & delegantem actum sit. Sed Quæritur, quomodo hoc casu ultimo succurratur delegato? Resp. Potest contra delegantem, quem per exceptionem remove- 3. re poterat, agere condictione certi, si pecunia sit soluta, si soluta non sit, condictione incerti d. l. 12. vers. is itaq; nisi transigendi animo pecunia à delegato sit promissa l. 2. C. de Cond. indeb. Fit autem mentio duarum exceptionum in d. l. 19. quas delegatus opponere potest creditori: Prima est exceptio SC. Vellejani: Altera in minore circumscripto, qui intra tempora in l. f. C. de Tempor. in integr. rest. præfinita restitutionem desiderare potest. Quid si verò major factus delegetur ab eo, cui in minore ætate quid promiserat? Resp. Non potest exceptionem opponere creditori, cum delegatio ab ipso facta est, cum esset major, contra delegantem verò rectè petit restitutionem.*

§. 7. Per cessionem contractum mutui rescindi vix dubium est, per nominis cessionem enim fieri solutionem volente creditore patet ex l. 16. C. de solut. & debitor cedendo nomen vel debitum non amplius est obligatus, quàm eatenus ad evictionem, ut solummodò verum debitorem, qui sine exceptione efficaciter est obligatus l. 13. de R. J. non verò idoneum seu locupletem præstet l. 4. de Hæred. vend. Carpz. p. 2. C. 34. D. 26. Berlich. p. 2. Dec. 290. n. 11. Exceptiones tamen vide in eleganti Tractatu Dn. Brunnem. de Cessione Actionum cap. 5. n. 48.



§. 8. Denique resolvitur contractus mutui ipso jure per oblationem, obsignationem, & depositionem solennem, siquidem & hoc modo debitori liberatio contingit *l. 9. C. de Solut.* & cursus usurarum inhibetur *l. 19. C. de usur.* imò pignorum & fidejussorum obligatio tollitur *l. 8. C. de Distract. pign.* Hinc debitor post oblatae & consignatae pecuniae depositionem rectè instituit pignoratitiam actionem per *l. f. C. de Luit pign.* Quid? Licet debitor post institutam actionem pignoratitiam offerat debitum, in judicio actionem suam confirmat, & consequitur, ut, licet ab initio rectè mota actio non videatur, tamen creditor ad restituendam rem pignoratam condemnatur *l. 9. §. f. de pign. act.* Quae singula ut obtineant, debite & solenniter debet fieri depositio. 1. enim necesse est, ut creditor recusaverit totum debitum cum usuris loco & tempore oportuno oblatum. 2. Ut creditor citetur à judice debitoris competente ad videndum deponi. 3. Ut termino praefixo iterum totum debitum cum usuris in proba moneta offerat. 4. Ut creditore iterum recusante aut planè non comparente apud Magistratum obsignetur & deponatur *l. 9. C. de Solut.* Diximus cum communi Dd. Scholâ ipso jure rescindi contractum per solennem depositionem, in quâ sententia etiam fuit *Bachov. ad Tr. de Mod. toll. oblig.* Sed in *Tract. de Pignor. Lib. 5. c. 1. n. 2.* altera ipsi arridet opinio, nempe dicto modo obligationes per exceptionem tantum tolli. Movetur unico argumento: Ubicumque obligatio ipso jure sublata est, non est in potestate alterius facere, ut ea restituatur, ac redeat, nec quidem, ut ipse reus sine nova conventionem obligationem se reponat, Atqui ubi deposita est pecunia, in potestate debitoris est, ut obligatio maneat in suo statu. E. Minorem probat ex *l. 19. C. de Usur. verb. nisi fortè l. 1. C.*



C. *Qui pot. in pign. l. 7. ff. de Usur.* Fatetur *Bachov.* per novam conventionem quem in obligationem se reponere posse, uti patet ex *l. 7. C. de Pact.* Sed quid obstat dicere, deponentem recipiendo pecuniam depositam quasi novam conventionem inire, & de novo se obligare creditori. Hinc ob hoc unicum argumentum à communi *Dd.* opinione recedere mihi religio esto.

## CAP. IV.

DE

### Rescissione Mutui.

QUAE FIT

### PER EXCEPTIONES.

§. I.

POSTquam modos, quibus ipso jure contractus mutui rescinditur, explanavimus, in residuo est dicere, quâ ratione per exceptiones propriè sic dictas rescindatur, & quidem 1. Rescinditur mutuum per doli metusque exceptionem, quam Prætor ideò proposuit, ne cui dolus suus per occasionem juris civilis contra naturalem æquitatem prodesset *l. 1. §. 1. ff. de dol. mal. except.* Datur hæc exceptio contra illos, qui dolum commiserunt, non contra alios *l. 11. d. Tit.* nisi dolus respiciat ipsam obligationem *l. 4. §. 24. dict. Tit.* Adversus Parentes verò non exceptio doli, sed in factum datur ob reverentiam *l. 4. §. 16. dict. Tit.* Quando verò dolus præsumi possit, ex cujusvis facti circum-

C 3

cum. 4

4



cumstantiis est videndum: Sic is, quem inebriavi, & contractum cum eo celebravi, videtur dolo inductus, de quibus præsumptionibus consule *Menoch. l. 5. præf. 3. l. 3.*

5. *præf. 126.* Exceptio metus in hoc differt ab exceptione doli, quod illa sit in rem scripta, ut non inspiciamus, an is, qui agit, metus causa fecerit, sed an omnino metus causa factum fuerit, imò exceptio metus objicitur, licet non tantum ab autore, sed à quocunque fuerit adhibitus *l. 4. §. pen. dict. Tit.*

§. 2. Resolvitur contractus mutui, per exceptionem pacti de non petendo. Nec mirum siquidem ex *l. 5. C. de Pact.* apparet, quod debitori, si per ignorantiam solverit, etiam repetitio competat. Datur autem hæc exceptio non tantum debitori, sed & ejus hæredibus tam adversus creditorem quam ejus hæredem, si pactum in rem fuerit conceptum, secus si in personam *l. 7. §. 8. l. 57. §. 1. ff. de Pact.* Nec obstat, an causa pacto de non petendo sit adjecta, an non: Nam posteriori casu donationem exercere voluisse creditor præsumitur: Hinc statuunt Dd. requiri insinuationem, si per ejusmodi pactum ultra quingentos solidos remissum sit. *Zang. de Except. p. 3. c. 15. num. 26.*

§. 3. Rescinditur contractus mutui per exceptionem jurisjurandi voluntarii, quod, cum extra judicium ex conventionem defertur, speciem pacti seu transactionis habet, uti colligitur ex vocabulo initiali *§. 4. ff. de Except.* Ratio, quod hæc exceptio detur, est, quia juramentum non est modus tollendi obligationem civilem. Datur  
1. hæc exceptio non tantum illi, qui præstitit juramentum, sed & ejus successoribus tam universalibus, quam singularibus, qui in rem succedunt; Imo datur quoque fidejussoribus, & contra ipsi reo, si fidejussor juraverit, reum non de-



debere l. 28. §. 1. ff. de jurej. Personæ, contra quas datur 2.  
hæc exceptio, sunt omnes illi, contra quos juratum est,  
modo potestatem deferendi habuerint, aliàs enim non  
prodest exceptio l. 9. §. 4. de jurej. Minor tamen contra  
hanc exceptionem per modum replicationis restitutio-  
nem in integrum petere potest, si est circumscriptus. 3.

d. §. 4.

§. 4. Rescinditur contractus mutui etiam per  
exceptionem rei judicatæ, quæ, licet dicatur exceptio litis  
finitæ, tamen hoc non fit propterea, quasi post rem judi-  
catam non amplius competat actio, illa enim [cum judex  
per sententiam neque naturalem neque civilem obliga-  
tionem tollat, sed tantum id, quod in veritate sibi videtur,  
pronunciat] adhuc durat, non tamen habet effectum,  
actio repetita, si opposita sit exceptio rei judicatæ §. 5. *J. de* 1.  
*Except.* Habet autem locum hæc exceptio, si eadem res  
& eadem quæstio inter easdem personas revocetur, l. 3. 12,  
13 & 14. ff. de *Except. rei judic.* Sententia enim inter alios  
dicta, aliis nocere non debet, l. 1. dict. *Tit. & tot. tit. Cod. qui-*  
*bus res judicata non nocet* Quæ requisita si adsunt, ite-  
rum videndum, an sententia sit absolutoria, an 2.  
verò condemnatoria: Hæc non prodest tantum  
illi, pro quo est data, sed & ejus hæredibus & singularibus  
successoribus, sive vincens ipsemet egerit, sive per procu-  
ratorem vel aliam personam l. 11. §. 7. dict. *Tit.* Nocet au-  
tem tantum ei, contra quem judicatum est, non aliis. *tot.*  
*Tit. C. inter alios & c.* Illa, absolutoria scilicet, prodest non 3.  
tantum reo, ejusque successoribus universalibus & singu-  
laribus, & aliis, d. §. 7. Sed etiam tertio, qui non fuit in ju-  
dicio, uti habet exempla *Zang. de Except. p. 3. c. 17. n. 101.*  
Nocet verò absolutoria actori ejusque successoribus uni-  
versalibus, & singularibus, aliisque, qui rem in judicium  
de-



deduxerunt d. §. 7. imò & tertio, qui rem in iudicium non deduxit.

§. 5. Rescinditur contractus per transactionem, quæ est rei dubiæ & litigiosæ aliquo dato vel retento vel promisso conventa decisio *l. i. de Transact. l. 17. l. 33. l. 38.*

1. *C. eod.* Hinc sequitur, quod post rem iudicatam, aut litem jurejurando decisam transactioni locus non sit *l. 7. pr. l. ii. de Trans.* Neque in controversiis ex testamento vel codicillis orientibus transigere licet, nisi inspectis prius testamenti verbis *l. 6. dict. Tit.* Quod verò alimenta ultimâ voluntate relicta attinet, distinguunt Dd. communiter inter præterita & futura: De illis licitum est transigere *l. 8. C. dict. Tit.* non verò de his *l. 8. pr. d. Tit.* nisi juramento confirmetur transactio, tunc enim valet, modò alimentario salva maneat vitæ subsidia. *Zæf. ad ff. de Trans. n. 19.*
2. Quæritur hîc, an etiam per transactionem possit rescindi matrimonium & sponsalia? Neg. per *c. fin. X. de Trans.* nisi fiat ex causis adulterii vel malitiôsæ desertionis. *Beust. de Matrim. p. 1. c. 20.* Denique quæritur
3. an delicta rescindi possint per Transactionem? Resp. Disting. inter delicta privata & publica: In illis, si civiliter agatur, licita est transactio. *l. 17. §. i. de Pact.* reus enim liberatur actione. In publicis iterum distingv. inter capitalia & non capitalia: In illis transigere prohibitum non est *l. 18. C. de Transact.* excepto adulterio: Hodîè tamen & in hoc transigere licet, non quidem ut adulter ab omni pœnâ eximatur, sed mortis supplicio remisso, in perpetuum relegetur, cui innocens sequi tenetur. *Carpz. p. 4. C. 19. D. 10.* In his verò transigere non licet, nisi hoc hodiè fiat cum consensu Magistratus *Carpz. prax. Crim. p. 3. qv. 118. n. 17.*
4. Quæritur hîc, an etiam per transactionem possit rescindi matrimonium & sponsalia? Neg. per *c. fin. X. de Trans.* nisi fiat ex causis adulterii vel malitiôsæ desertionis. *Beust. de Matrim. p. 1. c. 20.* Denique quæritur
5. an delicta rescindi possint per Transactionem? Resp. Disting. inter delicta privata & publica: In illis, si civiliter agatur, licita est transactio. *l. 17. §. i. de Pact.* reus enim liberatur actione. In publicis iterum distingv. inter capitalia & non capitalia: In illis transigere prohibitum non est *l. 18. C. de Transact.* excepto adulterio: Hodîè tamen & in hoc transigere licet, non quidem ut adulter ab omni pœnâ eximatur, sed mortis supplicio remisso, in perpetuum relegetur, cui innocens sequi tenetur. *Carpz. p. 4. C. 19. D. 10.* In his verò transigere non licet, nisi hoc hodiè fiat cum consensu Magistratus *Carpz. prax. Crim. p. 3. qv. 118. n. 17.*

§. 6. Denique rescinditur mutuum per præscriptio-



ptionem triginta annorum, uti liquet ex l. 3. C. de Prescr.  
30. ann. Non verò incipit hæc præscriptio currere præci- 1.  
sè à die scripti chirographi, sed vel à tempore solutioni  
destinato, vel post congruum aliquod intervallum, quo  
scilicet debitum exigi potit. *Carpz. p. I. C. I. D. 6. § lib. 1.*  
*Resp. 33. n. 6.* Et quoniam de jure Canon: in omni præ- 2.  
scriptione bona fides requiritur, hinc sequitur, quod de-  
bitor intra 40. annos de debito non conventus non possit  
opponere præscriptionem ob malam fidem, cum igno-  
rantiam allegare non possit is, qui ipse debitum contraxit.  
Sed quid de hærede, qui post mortem debitoris 30. annis 3.  
non est interpellatus, statuendum? *Resp.* Tutus est præ-  
scriptione. Nec obstat, quod hæres succedat in vitia de-  
functi. *Resp.* enim, quoniam hoc casu nullius rei pos-  
sessio, cum qua vitia transire possent, in hæredem trans-  
fertur, meritò succurritur hæredi, vel subtilitas ista juris,  
quod hæres induat semper malam fidem defuncti de jure  
Canonico cessat. *Gilken de præscript. q. 2. m. 1. c. 16. n. 31.*  
*Dn. Brunnem. in Comment. ad ff. l. 11. de diversis temp. præ-*  
*script. n. 4.* Hactenus modos generales, quibus vel ipso  
jure, vel ope exceptionum omnes ferè contractus rescin-  
di possunt, explicavi, illosque contractui mutui tantum  
applicavi, restat igitur, ut, quomodo in specie contractus  
mutui rescindatur, paucis dicam.

## CAP. V.

# Quomodo in Specie Con- tractus mutui rescindatur.

### §. I.

**R**escinditur contractus mutui in specie à filiis familias  
D ex-



- exceptione SC. Macedoniani, in quo principaliter ob odium foeneratorum prohibitum dare mutuam pecuniam sine consensu patris *l. 1. ff. ad SC. Maced.* Licet enim filiusfamilias accipiendo pecuniam naturaliter obligetur, per *l. 9. §. 1. 7. §. f. ad SC. Maced. l. 40. ff. de Cond. indeb.* tamen contra actionem institutam non tantum filiusfamilias, sed & ejus hæres, fidejussor *l. 9. §. 3. d. Tit.* imò ipse pater conventus de peculio hanc exceptionem opponere potest *l. pen. C. eod.* Et potest hæc exceptio opponi etiam post condemnationem ad impediendam executionem, *l. 11. ff. d. Tit.*
1. Quærunthic Dd. an per dignitatem patria potestate soluto competat hoc beneficium? Affirmat hoc *Hahn. ad Wes. de SC. Maced.* multis allegatis rationibus: Econtra negat *Carpzov. p. 2. C. 10. D. 17. & Bachov. ad Tr. Diss. 20. th. 7. lit. E.* Ego salvâ cujusque melius sentientis opinione putarem, si per dignitatem liberatus à patria potestate tempore contractus adhuc fuit in potestate, quod tunc habeat hoc beneficium etiam post liberationem: Probatum hoc ex *§. 7. 7. Quod cum eo qui & c.* ubi filiusfamilias, qui mutuum contraxit, retinet hoc beneficium post emancipationem; quod si verum non esset, beneficium solutionis à patria potestate per dignitatem torqueretur in ipsorum odium: Quod si vero tempore contractus per dignitatem jamjam sit solutus patria potestate, nullum est dubium, quin ipsi hoc beneficium non competat. Datur hoc beneficium contra creditores, sive ipsi mutuo dederint, sive alio dante stipulati sint *l. 7. §. 7. ff. ad SC. Maced.* contra successores universales & singulares. *§. 6. d. l. 7. ff. d. Tit.* imò contra civitatem *l. 15. ff. dicit Tit.* Cessat hoc SCtum 1. Si filiusfamilias à creditore pro patre habetur. *l. 3. ff. d. Tit.* 2. Si simulavit se patrem *l. pen. ff. d. Tit. l. 1. C. eod.* 3. Si voluntate patris accepit mutuum *l. 12. d. Tit.* vel pater ratum habeat *l. 7. §. 11. d. Tit.*



*Tit. 4. Si sit miles. l. 2. d. Tit. 5. Si accepit studiorum causa l. 7. §. 13. d. Tit. 6. Si alius contractus sit celebratus l. 7. §. 3. d. Tit. 7. Si pecunia in rem patris sit versa l. 7. §. 12. §. 14. d. Tit.* Quæritur hîc, an SCtum cesset, si filiusfamilias ipsi mediante juramento renunciaverit? Resp. **S.** Quod non. Cum enim SCtum in utilitatem Reip: est introductum, renunciatio ejusmodi non valet. Nec obstat, quod SCtum cesset, si filiusfamilias solutionem fecerit; Hoc enim non fit ob renunciationem, sed propter naturalem quæ subest obligationem.

§. 2. Denique rescinditur mutuum in specie per exceptionem non numeratæ pecuniæ in factum, per *l. 9. C. de Non. num. pec.* Dicitur verò hæc exceptio in factum, quia non opponitur confessioni scriptæ, sed obligationi verborum & confessioni verbis expressæ: Datur igitur potius ex interpretatione; Omnia tamen quæ in exceptione non numeratæ pecuniæ directâ locum habent, obtinent etiam in hæc, quæ ex interpretatione datur. Vide infra cap. 10.

## CAP. VI.

DE

### Rescindendo Commodato.

§. I.

**N**E per repetitionem modorum generalium nauseam Lectori movere videar, necesse erit tantum dicere, quâ ratione commodatum, & ita in futurum quilibet contractus nominatus in specie rescindatur. Est verò com- I.

D 2

mo-



- modatum contractus, quo res ad certum usum gratis conceditur, ita ut finito usu in specie restituatur. §.2. *J. quib.*
2. *mod. re. contr.* Ex quâ definitione statim apparet, contractum hunc rescindi posse per revocationem, quæ verò fieri debet justo tempore; Hinc quærunt Dd. An commodatum ante finitum temp<sup>9</sup> vel usum repetere liceat? Quod negatur in *l.17. §.3. ff. Commod.* Si verò commodans ipsâ re commodatâ opus habeat, illudque non præviderit, videtur revocatio locum habere, cum act<sup>9</sup> ultra intentionem non debeant extendi *arg. l.8. C. de revoc. donat.* Quod si revocatio justo tempore fiat, debet commodatarius eandem rem restituere salvam & integram, non deterioratam; Si enim deterior reddatur, reddi non videtur *l.3. §.4. Commod.* Si verò deterioratio non sit magna, non necesse est, ut commodatarius totius rei æstimationem præstet, sed sufficit, si deteriorationis pretium solvere paratus sit
3. *arg. dict. l.3.* Sed Quæritur, si commodatarius rem perdiderit, æstimationemque præstiterit, & res postmodum redeat ad commodantem? Resp. Electionem habet commodatarius, an velit id, quod datum est, repetere conditione sine causa, an verò propter æstimationem, quam præstitit, velit utili rei vindicatione uti per *l.63. in f. de R.V.*
4. *arg. dict. l.3.* Sed Quæritur, si commodatarius rem perdiderit, æstimationemque præstiterit, & res postmodum redeat ad commodantem? Resp. Electionem habet commodatarius, an velit id, quod datum est, repetere conditione sine causa, an verò propter æstimationem, quam præstitit, velit utili rei vindicatione uti per *l.63. in f. de R.V.*

§. 2. Respectu commodatarii rescinditur mutuum interitu rei commodatæ per casum fortuitum, hic enim est commodantis, ut domini. *l.5. §.7. Commod.* nisi commodatarius culpa vel levissima causam dederit casui *d. §.7.* vel in ipso casu res suas commodatis prætulit *d. l.7 §.4.* quod commodans probare debet secundum *Mozz Tit. Quomodo annulletur commodatum. num.8.*

CAP.



CAP. VII.  
DE  
Rescindendo Deposito.

§. I.

DEpositum, quod est contractus, quo alicui res explicitè (implicitè enim & latè etiam nautis res custodienda datur) custodienda conceditur, rescinditur per contrariam deponentis voluntatem: Potest enim deponens rem suam alterius custodiae traditam repetere, statim atque deposuit, etiamsi de certo tempore convenit. *l. 1. §. 22. & §. pen. ff. Depos.* & depositarius statim tenetur reddere depositum sine ulla morâ & exceptione *l. pen. C. eod.* adeò, ut in hoc contractu depositarius neque ob impensas in re deposita factas exceptionem retentionis obijcere possit ob legem generalem *ii. C. d. Tit. §. 30. f. de Act. & l. f. C. de Comp.* licet dissentiat *Bachov. ad Tr. disp. 26. tb. §. lit. b.* valet tamen retentio etiam ob aliud debitum, si ita conventum sit. *Mev. p. 2. D. 55.* Et licet aliàs in jure denunciations valeant, *l. ult. ff. de Lege Commiss.* tamen creditor non potest denunciare depositario, ne depositum restituat, donec sibi satisfactum, *per auth. sed jam cautum. C. d. Tit. & Nov 88. c. 1.* Sed Quæritur, annon exceptio domini locum habeat in deposito? Resp. Quod sic *per l. 15. ff. depos.* modò in continenti probetur.

§. 2. Resolvitur depositum, si res deposita perierit casu, qui spectat ad deponentem *l. 20. ff. Depos. l. 2. C. eod.* modò non adsit depositarii culpa lata in concreto considerata *l. 5. §. 2. Commod.*

§. 3.



§. 3. Denique rescinditur depositum, si conver-  
tatur in alium contractum, Exemplum est. *in l. 9. §. f. ff. de*  
*Reb. cred.* ubi depositum convertitur in mutuum, & agi-  
tur non depositi, sed conditione certi.

## CAP. VIII.

DE

# Rescindendo Pignore.

§. I.

**R**escinditur pignus vel directò & per se, manente debi-  
to principali, vel per consequentiam, seu ratione  
**1.** obligationis, cui accessit. Directo rescinditur **1.** Inte-  
ritu rei, sive sit corporalis, sive incorporalis, *l. 8. pr. ff.*  
*quib. mod. solv. pign.* modò res in totum sit absumpta, &  
non pars ejus: combustâ enim domo pignus manet in  
areâ, & quicquid inædificatur, manet obligatum *l. 21. ff. de*  
**2.** *Pign. act. l. 29. §. 2. l. f. ff. de Pignor.* Hic quæritur, Si res  
particularis hypothecata perierit, & loco ejus alia fuerit  
furrogata, an res surrogata in obligatione comprehenda-  
tur? *Neg. in l. 26. §. f. ff. de Pignor.* nisi **1.** Res surrogata  
sit orta ex primâ per *d. l. 26.* **2.** Res surrogata sit orta apud  
debitorem vel ejus heredem per *l. 29. §. 1. d. Tit.* **3.** Res  
orta ex primâ transierit in materiâ reducibile per *l. 18.*  
*§. 3. ff. de pign. act. l. 78. §. 4. de Leg. 3.* **4.** res oriatur ex  
primâ immediatè per *l. 3. C. in quib. caus. pign.*

§. 2. Rescinditur pignus directò mortuo eo, qui  
rem pignori dedit, & non habuit jus in re illa pignoratâ,  
nisi ad certum tempus *l. 31. ff. de Pignor.*

§. 3.



§. 3. Rescinditur pignus directò per remissionem pignoris, quæ fit vel tacitè vel expressè: Expressè si per pactum convenit, ut ab hypotheca discedatur: *l. 5. pr. Quib. mod. pgn. solv.* vel si creditor expressè consentiat in venditionem, donationem *l. 4. §. 1. d. Tit.* vel omnem alienationem, licet fiat per ultimam voluntatem *l. 8. §. 11. d. Tit.* & ab hærede debitoris *d. l. 8. §. 16.* Hinc si creditor alienationi quidem intersit, & taceat, non præsumitur I. pignus remisisse *d. l. 8. §. 15.* nisi 1. agatur de Libertate, *l. 1. C. de Rem. pign.* vel 2. de favore Religionis per *Auth. si servus C. de Episc. & cler.* vel 3. de Re fisci *l. 8. C. de Remiss. pign.* vel nisi 4. creditor animo decipiendi taceat *l. 11. C. de distr. pign.* vel 5. iudex publicè creditores monuerit, ut intra certum tempus compareant, illi verò nihilominus emanerint *l. 6. C. de Remiss. pig.* Consensus itaque expressus regulariter nocet, & quidem non tantum respectu illius creditoris, cui consensus præstitus, sed & respectu illius creditoris, qui in jus prioris successit, uti elegans habetur casus in *l. 9. §. 1. Quib. mod. pign. sol.* Non sufficit autem creditorem in alienationem consensisse, 3. sed etiam alienatio debet sequi in effectu, ita ut contractus jure subsistat: Hinc facilè dijudicare licet, An rescindatur pignus, si cum consensu creditoris sit venditum, pretium verò nondum exolutum, nec emptor ad solutionem sit paratus? Affirm. in *l. 8. §. 12. d. Tit.* Licet enim venditor nondum tradiderit, nec emptor solverit, venditio tamen subsistit, & uterque ad hoc actione empti compelli potest. Sed quaritur, si res hypothecata, quæ per debitorem cum consensu creditoris fuit alienata, postea à 5. debitore fuerit reacquisita, an reincidat in obligationem? Neg. licet in obligatione facta sit mentio bonorum futurorum per *l. f. C. de Remiss. pign.* modò res reacquiratur  
ex



ex nova causa diversa à primâ, secus, si ex eadem causa re-  
acquiratur, vel alio modo venditio à debitore facta resol-  
vatur, tunc enim creditori jus sui pignoris restituitur *l. 10.*  
*ff. Quib. mod. pign. 6 sol.* Deniq; expressè quoque solvi-  
tur pignus, si creditor conveniat cum debitore, ut res pi-  
gnori data pleno jure ad debitorem spectet. *Neguz. Tr. de*  
**7.** *Pignor. memb. 3. p. 6. n. 22.* Tacitè remittitur pignus, si  
duo creditores rem ipsis hypthecatam simul emant à de-  
bitore *l. 9. pr. d. Tit.* vel si creditor se subscribat instru-  
mento, in quo debitor profiteretur, rem nulli alii esse obli-  
gatam *d. l. 9. §. 1.* [nisi se subscribat tantùm ut testis,] vel si  
creditor cautionem chirographariam, in quâ res sibi hy-  
pothecata erat, debitori restituat, remisisse videtur jus pi-  
gnoris *l. 7. C. de Remiss. pign.* non verò ipsum debitum *per*  
*l. 3. de Pact.*

§. 4. Resolvitur pignus directò tempore, ut si de  
tempore conveniat, quo obligatio pignoris finiri debet  
*l. 44. §. 1. de. O. & A.*

§. 5. Rescinditur pignus directò præscriptione,  
circa quam quæritur, cum pignus plerumque in mobili-  
bus consistat, an jus pignoris in bonis mobilibus constitu-  
tum per præscriptionem triennem rescindatur? Vide-  
tur quod sic, quia, sicut in præscriptione hypothecæ im-  
mobiliùm requiritur decennium habito quasi respectu  
ad præscriptionem dominii rei immobili, ita & in re mo-  
bili fieri deberet: Sed contrarium in *l. 7. C. de Pignor. l. 44*  
*§. 5. de Usucap.* habetur. Ratio duplex assignatur in *l. 1. §. 2.*  
*de Pignor.* 1. quod legislatori ita placuit. 2. quod causa  
dominii sit separata à quæstione pignoris. Aliam adhuc  
rationem dat *Neguz. d. Tr. memb. 2. p. 6. n. 14.*

§. 6. Per consequentiam, seu ratione obligatio-  
nis, cui accessit, resolvitur pignus tanquàm accessorium.  
Re-



Regula enim esto; non obstante *l. 2. C. de Luit. pign.* Extin- 1.  
cto debito principali regulariter extinguitur pignus *l. 6.*  
*pr. l. 13. ff. Quib. mod. pign. solv.* Exceptio est in *l. 7. §. 1. C.*  
*de Præsc. 30. ann.* 2. in *l. 1. C. de Luit. pign.* 3. in *l. 59. pr. ff.*  
*ad SC. Treb. §. 1. 38. §. f. de Solut.* Exclufis igitur dictis  
exceptionibus rescinditur pignus 1. per solutionem to- 2.  
tius debiti *l. 9. §. 3. ff. de Pign. act.* vel si creditor pecuniam  
oblatam acceptare nolit, potest eam debitor obfignatam  
deponere *l. 20. C. de Pign. l. ult. C. de Pignor. act.* & tunc  
habet debitor pignoratitiam actionem, de quâ hîc inci-  
denter quæritur? An præscriptionem patiatur? Et Resp.  
Licet juri offerendi à creditore præscribi non possit *Gail. 2. 3.*  
*O. 48.* cum non sibi, sed creditori possideat, *l. 13. ff. de*  
*Usucap.* quod etiam à *Carpz. p. 2. C. 1. D. 3.* ad creditoris  
hæredes extenditur, tamen uullum est dubium, quin de-  
bitio exoluto, & ita pignoratitia actione natâ, illa intra 30.  
annos præscribi possit, *Frantz. Exerc. 5. q. 6.* Quin imò  
hanc præscriptionem de jure Canon. procedere testatur  
*Negus. d. Tr. memb. 2. p. 6. n. 21.* de quo tamen respectu 4.  
ipfius creditoris dubito, cum semper sit in malâ fide, quæ  
præscriptioni contrariatur.

§. 7. Resolvitur pignus per novationem legiti-  
mam *l. 18. de Novat. l. 11. §. 1. de Pign. act.* voluntariam *l. 29. de*  
*Novat.* & validam *d. l. 18. l. 4. C. de Fidej.* Si verò novatio 1.  
est invalida, pignora priora pro veteri obligatione ma- 2.  
nent obligata; Et si novatio pro parte sit valida, pro il-  
la parte cessant pignora prioris obligationis; pro parte  
verè invalidâ manent obligata *p. l. 8. C. ad SC. Vellej. ibiqz*  
*Dn. Brunnem.* Quæritur hic, Si debitor nova der pigno- 3.  
ra, & priorum non faciat mentionem, an priora resolvan-  
tur? Næg. Sed prioribus nova accumulatur. *Mozz. de*  
*Pignor. Tit. Quomodo resolvantur pignora n. 9.* Nec re- 4.  
sol. 4.  
E



5. solvuntur pignora, si prioris obligationis pignora in no-  
vatione repetantur *l. ii. § 1. de Pign. act.* Hinc dat caute-  
lam *Neguz. d. Tr. p. 6. memb. 3. n. 5.* per quam quis pignora  
sua sine solutione liberare potest: Dicit verò: Si Titio  
debeas centum cum pignoribus, & velis liberare pigno-  
ra sine solutione, debes ab eodem sumere decem mutuo,  
& promittere illi solvere totam quantitatem, scilicet cen-  
tum & decem, & obligare te per instrumentum animo  
novandi priorem obligationem, non aliter repetendo  
prima pignora in obligatione novante, nam per hoc cen-  
sebuntur liberata priora pignora. Egregia quidem cau-  
tela! Sed ubi est hodiè talis Titius, qui debitori suo ultra  
centum adhuc decem det mutuo, & pignora satis pingvia  
per hanc cautelem sibi eripi facilè permittat, vel, si factū  
fuerit, non dicturus sit debitorem suum in malis habuisse  
Lecythum, quod tamen proverbium de se prædicari sin-  
cerus erubescit debitor.

§. 8. Unicus adhuc restat modus, quo respectu  
creditoris pignus rescindi potest, si scilicet debitor satis-  
factionem recuset, licitum est creditori post moram à de-  
bitore commissam pignus distrahere. Circa quam di-  
1. stractionem distingv. Aut pactum inter creditorem &  
debitorem intercessit, aut non: Priori casu, si per pactum  
data est licentia creditori pignus distrahendi, sufficit mo-  
ra debitoris ad distractionem pignoris sine ulla denuncia-  
tione *per l. 4. De Pign. act. Neguz. d. Tr. memb. 1. p. 6.* Sive-  
rò conventio facta, ne distrahatur pignus, cum hæc con-  
ventio pugnet cum fine pignoris, secundum Brunnem. ad  
*l. 4. C. de distract. pign.* tres requiruntur denunciations  
*d. l. 4.* Posteriori casu, si nullum intercessit pactum, & ita  
creditori neque concessum neque prohibitum pignus  
vendere, ultra moram debitoris una tantum denunciatio  
ad



ad solvendum requiritur, quæ cum facta est, biennio elapso pignus vendi potest. Atque hæc denunciationses ad solvendum in posterioribus duabus speciebus sunt de substantia distractionis, adeo ut his omissis venditio sit ipso jure nulla; Contra admonitio, quæ ultra prædictas denunciationses requiritur, cum non sit ad solvendum instituta, sed ut debitor præsens sit ad videndum distractionem pignoris, non est pars substantialis hujus distractionis, adeoque venditio, admonitione licet omissa, est firma: Si verò commissa esset fraus in vendendo, potest debitor agere directa pignoratitia ad interesse *per l. 1. C. si vend. pign.* Hic Quæritur, si creditor ritè pignus vendiderit, & tertius ex jure domini illud evincat, an creditor ad evictionem teneatur? Resp. Non. Ratio, quia creditor non suum proprium, quod est jus reale in re oppignoratâ constitutum, sed alienum, nempe dominium, debitoris fide vendidit. Emptor tamen habet regressum contra debitorem, & potest contra illum utilem actionem ex empto instituire *l. 12. §. 1. de distr. pign.* vel actionem pignoratitiam contrariam à creditore sibi cedi postulare potest. Limitatur, quod creditor ad evictionem non teneatur, nisi jure creditoris vendiderit. h. e. evictionem promiserit. *l. 1. §. 2. C. Credit. evict. pign.* Quo casu, si creditor evictionem promiserit, quæritur, an creditor evictione secutâ habeat regressum contra debitorem? Decidenda erit hæc quæstio ex illo fundamento: An per distractionem pignoris à creditore factam liberatus sit debitor ab obligatione? Et videtur, quod sic, quia per solutionem ejus, quod debetur omnis tollitur obligatio *pr. 7. Quib. mod. toll.* Sed contrarium verius est, quod scilicet debitor, quàm diu potest esse locus evictioni, non liberetur, sed interim liberatio



maneat in suspenso, & hinc est, quod creditor evictione  
secutâ contra debitorem pro suo debito consequendo ve-  
teri actione pignoratitia contratiâ, à quâ debitor non fue-  
rat liberatus, agere possit *per l. 22. §. f. ff. d. Pignor. act.*  
8. Imò ex *l. 8. §. 1. dict. Tit.* apparet, posse creditorem à debi-  
tore exigere cautionem de conservandocum indemnem  
ab evictione, & pro tali cautione obtinenda retinere alias  
res à debitore sibi obligatas.

## CAP. IX.

DE

# Rescindenda Stipulatione

Et

## Fidejussione.

§. I.

**S**tipulatio, cum sit contractus, qui perficitur ex inter-  
rogatione, eamque subsequente responsione *pr. J. de V. O.*  
resolvi potest per contrarium consensum certis verbis ex-  
pressum; nihil enim tam naturale, quàm eo genere quid  
dissolvi, quo colligatum est. *l. 35. de R. J.*

§. 2. Fidejussio, quæ est species stipulationis, qua  
quis pro alieno debito fidem suam interponit apud credi-  
torem, ut ipsi diligentius cautum sit *pr. J. de Fidej. rescin-*  
*ditur in specie per exceptionem divisionis, quâ fidejusso-*  
*res aliâs in solidum obligati §. 4. J. d. Tit. pro rata se libera-*  
*re possunt d. §. 4.* Non verò tantùm fidejussoribus sed  
I. etiam correis debendi *Nov. 99. c. 1. Carpz. p. 2. C. 17. D. 13.* imò  
tutoribus & curatoribus, inter quos tutela à testatore vel  
Magistratu non est divisa, datur hoc beneficium *per l. 1. §. II*  
ff



*ff. de tut. & rat.* Cessat autem in fidejussoribus, qui pro 2.  
tutore promiserunt rem pupilli salvam fore *l. f. ff. Rem pup.*  
*salv. 2.* In fidejussoribus, qui se fidejussores esse negarunt,  
inficiantibus enim hoc beneficium denegatur. *l. 10. §. 1. de 3.*  
*Fidej.* 3. Si tempore, quo agit creditor, reliqui non sint,  
solvendo §. 4. *f. de Fidej.* 4. Si huic beneficio expressis 4.  
verbis sit renunciatum, quod in foro Saxon: non colligi- 5.  
tur ex verb: *Sämbeilich und sonderlich/ Einer für alle/ und*  
*alle für einen.* Nihil enim nocet expressio eorum, quæ ta-  
cité insunt *l. 3. C. de Fidej. Carpz. p. 2. C. 17. D. 9. Diss. Hering. de*  
*Fidej. cap. 17.* 5. Si fidejussor hanc exceptionem omiserit, 6.  
vel justo tempore non opposuerit: Debet enim ante sen-  
tentiam, vel in ipsâ appellatione opponi, non verò in ex-  
ecutione: Ratio est, cum non ipso jure perimat actio-  
nem. *Brunnem. ad l. 10. C. de Fidej.*

§. 3. Speciale etiam competit in jure nostro pri-  
vilegium mulieribus, quo fidejussionem ab ipsis factam  
rescindere possunt, nempè *SCtum Vellejanum*, quod in-  
tercessionem mulierum tam pro extraneo, quam marito  
factas improbat. Utuntur hoc beneficio non tantum 1.  
mulierum hæredes, licet sint masculi *l. 20. C. ad Sc. Vellej.*  
nisi defuncta mulier prohibuerit expressè vel tacité, ne  
masculi exceptione ista uterentur *Job. de Sande lib. 3. Decis.*  
*Fris. tit. 11. D. ult.* Sed & fidejussores mulierum *l. 14. C. d. Tit.*  
quia hæc exceptio rei cohæret *l. 7. §. 1. de Except.* Mulieri-  
bus enim tribuitur non ut mulieribus, sed ob intercessio-  
nem, quam totam improbat *SCtum, Menoch. lib. 3. præf. 103.* 2.  
*n. 8.* Cessat autem hoc beneficium variis modis 1. Si mu-  
lier callidè & dolosè intercesserit *l. 18. C. d. Tit.* 2. Si pro  
intercessione pretium acceperit *l. 23. C. d. Tit.* 3. Si post bi-  
ennium repetierit intercessionem pro extraneo factam,  
*l. 22. C. d. Tit.* non verò pro marito. *Trentac. lib. 2. de Fidej.*  
*ref. 2. n. 2.* 4. Si pro dote alicui promissa *l. f. C. d. Tit.* vel  
pro



pro quavis pia causa intercesserit; à dote enim ad piam  
causam valet argumentum *Mev. p. 3. D. 85. 5.* Si huic bene-  
ficio renunciaverit; circa quam renunciationem distingv.  
inter intercessionem pro extraneo, & pro marito factam;  
Priori modo subsistit, licet extrajudicialiter facta sit, neq;  
3. requiritur juramentum, edocta tamen debet esse mulier,  
*Gail. 2. O. 77.* Posteriori modo renunciatio, nisi jura-  
mento confirmata sit, nullatenus valet *Autb. si qua mulier.*  
*c. ad Sc. Vell.* Et hæc ita se habent de jure civili, secus de Ju-  
re Saxonico: Ibi enim in renunciatione pro extraneo se-  
4. quentia requiruntur 1. Ut mulier sit major natu. 2. Ut  
curatoris consensus & autoritas intercedat. 3. Ut fiat in  
iudicio. 4. Ut mulier sit edocta: Quæ si fuerint observa-  
ta, subsistit renunciatio etiam quoad bona dotalia. *Carpz.*  
*p. 2. C. 16. D. 17.* In renunciatione autem mulieris pro ma-  
rito intercedentis ratione bonorum dotalium, dotalitii, &  
donationis propter nuptias requiritur necessario jura-  
mentum, *per Const. 16. Elect. p. 2.* cui juramento non æqui-  
pollet renunciatio facta sub verbis: *Wey Fürstl. oder*  
*Gräffl. Ehren/Treu und Glauben/oder an Eydes statt. vñ*  
*beym Wort der ewigen Wahrheit* *Carpz. d. l. D. 5. & 6. vid.*  
*Noviss. Decis. Elect. 25.* Aliàs ex veterum versiculis videri  
possunt casus, quibus mulier Scto Vellejano non utitur;

*Casibus in denis mulier spondendo tenetur,  
Pro libertate, pro dote renunciet, & si  
Decipiat, pretium capiat, caveatq; secundo,  
Debenti si succedit; si debita capit,  
Si minor est credens, si commoda propria gessit.*

Plura de hac materia vide apud *Wibelium in Tract. de Con-  
tract. mulier. cap. 5.*

CA-





## CAP. X.

DE

### RESCINDENDO CONTRACTU LITERARIO.

§. I.

**C**ontractus literarius, quando scilicet quis in scriptis confessus est, se pecuniam accepisse, quam tamen non accepit, rescinditur per exceptionem non numeratæ pecuniæ, quæ duplex est, una, quæ competit creditori, altera, quæ debitori competit: Illa, quæ datur creditori ex quacunque causa debitam sibi pecuniam esse solutam confitenti, opponi potest intra 30. dies à data cautione numerandos *per l. 14. §. 2. C. de Non num. pec.* Post illud tempus statur confessioni, licet creditor onus probandi pecuniam solutam non esse, in se recipere velit. *Zang. de Except. p. 3. c. 14. n. 31.* Potest tamen creditor hanc exceptionem perpetuam facere, si intra 30. dies adversario debitum non esse solutum innotescat, vel adversario absente Judici ordinario hoc denunciaret, *d. l. 14. §. 4. Nov. 100. c. 1.* Cessat hæc exceptio 1. Si creditor fateatur se pecuniam apud Titium depositam recepisse, vel si depositarius apud se pecuniam depositam esse contestetur *d. l. 14. §. 1. 2.* Si exactores tributorum vel aliarum functionum apocham dederint *d. l. 14. §. 1.* quæ apocha etiam fisco præjudicat, si exactores non sint solvendo *ob. l. generalem. fin. C. de Apoch.* Imputet enim sibi fiscus, quod diligentioribus administrationem non commiserit *Dissent. Zang. de Except. p. 3. c. 14. n. 9.* 3. Si maritus post instrumenta dotalia fateatur, se dotem accepisse, secus si hoc faciat in ipso dotali instrumento; tunc enim intra annum continuum

ex

4



ex quo solutum est matrimonium, habet exceptionem, si nempè intra biennium solutum sit matrimonium, si autem ultra biennium usq; ad decem annos matrimonium steterit, dantur tres menses opponendæ huic exceptioni, postea planè locum non habet per *Auth. quod locum. C. de dot. caut. non. num. Covarr. lib. 1. Res. c. 7. n. 15.* creditores tamen etiam post tempora ad exceptionem dotis non numeratæ admittuntur. *Carpz. p. 1. C. 28. D. 74. 4.* Cessat hæc exceptio in Principe, qui pecunias se recepisse fatetur. *Zang. de Except. p. 3. c. 14. n. 12.*

§. 7. Altera exceptio, quæ datur debitori, qui ex causa mutui pecuniam se accepisse confessus est, competit etiam fidejussori & debitoris creditoribus, qui ob suum interesse etiam invito debitore hac exceptione uti possunt, *l. 15. C. de non num. pec.* Est enim exceptio rei cohærens, non personæ. *Hering. de Fidej. c. 27. p. 4. n. 50.* Opponenda autem est intra biennium *l. 14. C. de non num. pec.* Quo elapso debitor amplius non auditur, nisi intra biennium debitor de pecunia sibi non numerata sit quæstus, & ita per querelam hanc exceptionem perpetuam effecerit *l. 8. C. d. Tit.* vel nisi elapso biennio probationes in se suscipere velit, tunc enim adhuc admittitur. *Mev. p. 2. D. 22. n. 3.* Nullatenus verò auditur, si loco probationis velit creditori deferre juramentum, *d. l. 14. §. 3.* Ubi enim cessat exceptio non numeratæ pecuniæ, ibi nec delatio juramenti locum habet. *Gomez. lib. 2. Res. cap. 6.* Et imputet sibi debitor, quod intra satis amplum temporis spatium onus probandi contra confessionem suam in adversarium non devolverit.

Ex-



Exceptio nostra locum non habet inter mercatores, quibus pecuniam in promptu habere interest, ne fides eorum periclitetur. *Carpz. p. 1. C. 32. D. pen.* Neque locum habet, si debitor huic exceptioni vel ex intervallo in alio instrumento, vel iuramento renunciaverit, *Hillig. ad Donell. lib. 14. c. 37. lit. F.* secus si simpliciter in eodem instrumento renunciatio sit facta; Hæc enim, cum futurus dolus in eâ sit remissus, non attenditur *arg. l. 23. de Reg. Jur.* Quæritur hic, an exceptio nostra in foro Saxonico contra instrumenta liquida ad impediendam executionem opponi possit? Neg. hoc *Finckerh. Obs. ii9.* sed contrarium statuimus cum *Carpz. p. 1. C. 32. D. 65. & Berl. p. 7. conclus. 84. num. 16.*

## CAP. XI.

DE

# Rescindenda Emptione & Venditione.

§. I.

**E**Mptio & Venditio, cum sit contractus consensualis de re pro certo pretio tradenda, contrario etiam dissensu re adhuc integrâ rescindi potest *S. f. 7. Quib. mod. toll. oblig.* Si verò ultra consensum vel pretium sit datum, vel res sit tradita, solus consensus ad rescissionem non sufficit, sed requiritur, ut res retrò reddatur, & pretium restituatur, tunc enim resolvitur prior contractus per *l. 58. de Pact. Sneidw. ad. 7. d. Tit. s. f.*

§. 2. Rescinditur emptio & venditio per famosissimum remedium *l. 2. C. de Resc. vend.* quod omnibus b. f. contractibus est commune *Hahn. ad VVes. de rescind. vend. n. 6.* Si enim

F

emp-



emptor vel venditor læsus sit ultra dimidium iusti pretii tempore contractus considerandi *l. 5. C. d. Tit. agere potest ex d. l. 2.* alternativè, ut à contractu vel recedatur, vel læsio resarciatur: Electio verò competit ei, contra quem ex *d. l. 2.* agitur.

**I.** Cessat hoc remedium 1. Si quis sciens viliori pretio vendiderit, modò non ex summa necessitate hoc fecerit *arg. l. 18. ff. de Alim. leg.* 2. Si huic remedio specialiter renunciatum sit. *Arum. disp. 1. ad d. l. 2. th. 10.* 3. Si venditio facta sit sub hasta, nisi venditor dolum vel perfidiam licitatoris probet, tunc enim præsumptio, quæ est pro judiciali venditione, cessat. *Carp. in Proc. Tit. 25. art. 4.* 4. Non locum habet hoc remedium in hæreditate vendita. *l. 11. ff. de Hered. vel act. vend.* 5. Si per sententiam pretium iustum dictum fuerit, obstat enim autoritas rei iudicatæ.

§. 3. Rescinditur contractus emptionis ratione vitii rei venditæ in hærentis: Si enim res animata latente & interno & quidem non levi vitio laborans sit vendita, emptor, licet actione empti agere possit per *l. 11. §. 3. ff. de Act. empt.* tamen ex ædilitio Edicto, quo Ædiles in specie huic rei providere voluerunt, & dare actionem pœnalem (si enim iudicis arbitrio venditor non paruerit, actio ædilis crescit in duplum. *l. 45. de Ædil. Edict.*) actionem instituere potest redhibitoriam, quæ emptor agit contra venditorem, ejusque hæredem, ut rem vitio affectam restituito pretio recipiat, ac, si sciverit vitium, interesse præstet *l. 1. C. de Ædil. edict.* Non verò emptio tantum, sed & permutatio, divisio & datio in solutum per actionem redhibitoriam sex menses utiles à die contractus durantem *l. 19. §. 1. d. Tit. rescindi potest d. l. 19. §. 5.* donatio verò & locatio per dictam actionem rescindi nequit *l. 62. & 63. ff. eod.*

§. 4. Ex supra dictis facilè dijudicari potest de porco grandinoso vendito, an redhiberi possit? Verum licet aliàs pecus mactabile, quod adeò morbidum est, ut ejus caro sine periculo comedi nequeat, redhiberi possit *Carpz. p. 2. C. 34. D. 15.* cum tamen vitium porci ex inspectione lingvæ & palati apparere possit, redhibitoria locum non habet, *Carpz. d. l. D. 16.* quod tamen tutius



tius ad artifices restringitur, cuius enim privato de his signis constare nequit *Vid. Disput. Excell. Dni Strykii de Visu. c. 3. n. 44. De quibusnā vitiis venditor equi in foro Saxon. teneatur Vid. Carpz. d. l. D. 17. Richt. Decis. 95. n. 30. Revenstrunk. Tract. de Edil. Edict.*

§. 5. Rescinditur contractus emptionis ratione pactorum, quæ adjici solent, quorum 1. est addictio in diem, quæ 1. contrahitur vel purè vel sub conditione: Purè, v. g. Res tibi pro X. esto vendita, nisi intra X. dies melior conditio sit allata *l. 2. ff. de Addict. in diem.* Sub conditione, v. g. si intra X. dies nemo meliorem obtulerit conditionem, res tibi esto vendita *d. l. 2.* Pura 2. rescindi potest à tertio per oblationem majoris pretii; Conditionalis verò, licet intra 10. dies melior conditio afferatur, non potest dici rescissa, quia existente demum conditione perficitur. Notandum tamen, quod, si pura à tertio per oblationem majoris pretii rescindatur, in arbitrio prioris emptoris sit, an velit idem pretium, quod à tertio intra certum tempus est oblatum, ipse supplere, tunc enim præfertur *l. 7. 8. & 9. ff. d. Tit.* 3.

§. 6. Secundum pactum est Legis Commissoriae, quo convenitur, ut, si ad certum diem non solvatur pretium, res sit inempta; Si enim pretium non solvitur, contractus ipso jure est resolutus, & dominium ad venditorem revertitur sine ulla retrotraditione *arg. l. 3. 4. & 5. ff. de Leg. Commiss.*

§. 7. Tertium pactum est retrovenditionis, quod in eo consistit, ut venditori concessa sit potestas contractum priorem rescindendi, & ita rem in emptorem translata pretio restituto redimendi *l. 2. C. de Pact. int. empt. & vend.* Tenetur autem redempturus præstare 1. idem pretium quod accepit h. e. in moneta, quæ fuit tempore primæ venditionis & eodem modo, seu iisdem terminis *Carpz. p. 2. C. 1. D. 21. & 22.* Putat tamen *Berlich. p. 2. c. 2. n. 39. & Brunnem. ad l. 2. C. de Pact. inter empt.* hoc verum esse, si de eodem pretio convenerit, quod si verò hoc factum non sit, illud reddendum sit pretium, quod tempore retrovenditionis justum sit. Dissent. *Carpz. lib. 5. Resp. 94. n. 7.* 2. Redempturus debet solvere Laudemium, quod quidem non domino, sed tamen emptori est refundendum. *Carpz. d. l. D. 32. & 24.* Omne enim preti-



3. pretium occasione rei solutum est reddendum. 3. Omnes im-  
 pensas & meliorationes *Carpz. d. l. D. 27.* Quo facto emptor rem  
 ipsam præcisè restituere tenetur *l. 68. de R. V. l. 25. §. 1. de Contr.*  
*empt.* fructus verò tempore retrovenditionis adhuc pendentes  
 pro rata temporis inter emptorem & venditorem dividuntur.  
 4. *Carpz. d. l. D. 20.* Quærent hic Dd. An pacto de retrovendendo  
 præscribi possit? Affirmant alii, alii negant: Quicquid sit, suf-  
 ficit negativam in praxi esse receptam teste *Myns. c. 1. O. 16.* quam  
 etiam approbavit Elector Saxon. in *Const. 1. p. 2.* & hanc juri na-  
 turali longè convenientiorem esse, exactè deducit *Hahn. ad VV.*  
*de Rescind. empr. num. ult.*

§. 8. Rescinditur emptio & venditio ex jure protimiseos  
 & retractus, quæ quidem à Dd. confunduntur, propriè autem  
 loquendo inter se differunt. Jus retractus enim tribuit faculta-  
 tem rescindendi venditionem jamjam impletam, jus verò pro-  
 timiseos venditionem nondum consummatam tantùm impedit,  
 1. & hinc dicere possum. Habens jus retractus, habet etiam jus  
 protimiseos, sed non contra, id quod patet ex eo, quod, si res o-  
 missâ denunciatione sit vendita, & nondum tradita, habens jus  
 protimiseos quidem contra venditorem ex vendito agere potest,  
 ut sibi res juxta pactum eodem tradatur pretio *l. 75. de Contr. empr.*  
 si verò res jamjam tradita est, non competit ipsi jus retractus ad  
 revocandam rem, sed tantum habet actionem ad interesse con-  
 tra venditorem, nisi ratione juris protimiseos hypotheca sit con-  
 stituta *Carpz. p. 2. C. 32. D. ii.* vel emptor pactum illud sciverit  
*Carpz. d. l. D. 12.* Sicut nec ei, qui ex dispositione testatoris jus  
 protimiseos habet, jus retractus competit, *Carpz. d. l. D. 9.* Verùm  
 2. igitur jus Retractus, ex quo competit actio in rem scripta contra  
 quemvis possessorem, competit tantùm iis personis, quibus hoc ex  
 lege tribuitur. Lex verò est vel communis, vel particulâris: Ju-  
 3. re communi retrahere possunt agnati feudum legitimè alienatum,  
 tituloq; oneroso translatum, de quo vid. *Hartm. Pistor. p. 2. q. 11. 12.*  
 Dominus emphyteuseos *l. f. C. de Jur. emphytevt.* creditor ratione  
 crediti *l. 16. de Reb. autor. jud. poss.* Fiscus juxta *l. 1. C. de Metall.*  
 Jure particulari v. g. statuto seu consuetudine competit jus retra-  
 ctus



Etus proximis agnatis, quod jus per omnia ferè ordinè & jus suc-  
cessionis ab intestato imitatur, de quo vide *Reinking. de Retract. con-*  
*sangv.* Possunt itaq; ex retractu gentilitio proximi agnatis, si in-  
tegrum & justum pretium una cum sumptibus & expensis offe-  
rant, rem alienatam intra annum civilem *Carpz. p. 2. C. 33. D. 4.*  
sed tamen utilem, *Carpz. d. l. D. 3. & 6.* in suum usum retrahere:  
Si igitur à parte retrahentis dolus præsumatur, juramentum retra-  
hens præstare debet, quod rem non in alterius utilitatem retrahat  
*Mev. ad Jus. Lubec. Lib. 3. Tit. 7. art. 1. n. 58.* Imprimis verò de Ju-  
re Saxon. competit liberis jus bona avita retrahendi: Iphis enim  
competit ex *Const. Elect. 31. p. 2.* potestas fundum vel prædium avi-  
tum venditum ante factam in judicio traditionem, ad quam de  
Jure Saxon. judicialis venditoris requiritur resignatio *Carpz. ad d.*  
*Const. d. 13.* restituto venditionis pretio redimendi & in familia  
conservandi, adeò ut etiam bona hæc sub hasta vendita, decreto  
judicis tamen nondum addicta, huic retractui subjaceant. *Carpz.*  
*d. l. D. 18.* Sed quid si patrimonium universum, sub quo tantum  
bona quædam avita comprehenduntur, quis vendiderit, emptor-  
que huic avitis ademptis, reliqua bona retinere nollit, nec ven-  
ditor avita sola vendere posset, an liberi ad retractum sunt admit-  
tendi? *Neg. per l. 47. §. 1. de Minor.* Multa enim transeunt ad emp-  
torem cum universitate bonorum, quæ aliàs singulariter vendita  
non transirent. Duo huic materiæ videntur obstare 1. Quod  
liberi tanquam hæredes non possint factum parentum improbare,  
sed *Resp.* liberi non improbant, sed confirmant alienationem,  
& se tantum surrogari volunt. 2. Quod Liberi ad evictionem  
teneantur. Sed *Resp.* cum bona alienata ab ipsis non revocen-  
tur ex vitio rei, seu defectu juris venditoris, sed ex lege. *E. ad evi-*  
*ctionem non tenentur. Mev. Lib. 3. ad Jus Lubec. Tit. 7. art. 2. n. 3.*

## CAP. XII.

DE

### RESCINDENDA LOCATIONE ET CONDUCTIONE.

§. I.

**L**ocatio & Conduccio, ut alii contractus consensuales, rescin-  
ditur

F3

4



ditur contrario partium consensu, si sc. partes consentiant, ut contractus locationis amplius non duret.

§. 2. Resolvitur 2. Locatio, si tempus locationis sit finitū, si verò ultra tempus conductor in locatione prædii rustici permanferit, videtur in annum reconduxisse, & pignora conductoris, non verò tertii, sunt renovata: In prædio autem urbano videtur conductio renovata à conductore, quatinus habitavit, nisi in scriptis certum tempus locationi sit comprehensum *l. 13. §. f. ff. Locat.*

§. 3. Rescindi quoq; potest contractus locationis à conductore ante finitum tempus ex justa causa, v.g. Si domus spectris infestetur, vel ruinam minetur, vel alio modo usus rei impediatur, & tunc pro rata temporis remissio pretii fieri debet *l. 25. §. 2. ff. Locat.* Si verò ex causa haud sufficienti emigraverit conductor, totum pretium solvere tenetur *l. 55. §. f. l. 27. §. f. ff. Locat.*

§. 4. A locatore rescindi potest contractus 1. Si ex superveniente necessitate ædes sunt reficiendæ *l. 3. C. Locat.* Debet tamen esse talis refectio, quæ conductore inhabitante fieri non posset, & finitâ refectioe usus conductori est restituendus. 2. Si post contractum res locata ad proprios usus incipiat esse necessaria *d. l. 3. quod tamen cum Carpz. p. 2. C. 37. D. 11.* ad prædia rustica non est extendendum, cum in fundo tanta proprii usus & refectioe non adsit necessitas, quàm in ædibus. 3. Si conductor re conductâ malè utatur, vel deteriorando, vel ad malum usum abutendo: Tunc enim locator ante tempus conventum implorato judicis officio conductorem expellere potest, *Mey. p. 5. D. 379,* vel, si malè uti ceperit, potest cautionem de innoxio usu exigere *Mey. p. 5. D. 357.* 4. Si pretium à conductore non solvatur, *d. l. 3.* 5. Si conductor ante finitum tempus è domo emigraverit, potest locator in totum à contractu recedere, & rem alteri locare *l. 24. §. 2. ff. Locat.* 6. Si locator rem locatam vendiderit, emptor enim non tenetur conductori *l. 9. C. Locat.* nisi conductor sibi de hypotheca in re locata prospexerit. *Carpz. p. 2. C. 37. D. 4,* vel emptor eâ lege emerit, quod velit stare locationi. *d. l. 9,*

Cap.



CAP. XIII.  
DE  
RESCINDENDA SOCIETATE.

§. I.

**R**escinditur societas vel ratione personarum vel ratione rerū:  
Priori modo 1. contrario partium consensu *l. 64. ff. pro socio*:  
Quocunq; enim modo inita sit societas etiam ad certum tempus,  
ob justam causam dissensu potest dissolvi; Conventio enim de  
stando in perpetua societate est invalida. *Carpz. lib. 1. Resp. 103.*

§ 2. Rescinditur quoq; renunciatione unius socii invito  
altero, sive sit expressa sive tacita *l. 64. d. Tit.* Debet autem renun-  
ciatio fieri 1. Tempestivè v. g. non debet fieri ante tempus placi- **1.**  
tum, nisi justa causa subsit. v. g. Si socius non stet promissis *l. 14. d.*  
*Tit.* vel re communi frui non liceat. *l. 15. d. Tit.* vel socius sit rixosus  
*d. l. 14.* 2. Debet fieri legitimè, h. e. præsente socio *l. 17. §. 1. d. Tit.*  
3. Debet fieri sine fraude, quando scilicet reliquorum sociorum  
non interest societatem dissolvi. *Mev. p. 2. D. 192. n. 5.* Quæritur hic:  
Si unus societati renunciaverit, an inter cæteros socios pristina **2.**  
maneat societas? Vid. *Mev. p. 4. D. 360.*

§. 3. Morte resolvitur societas. §. 5. *J. de Societ.* Licet enim  
emolumentū societatis transeat in hæredem *l. 63. §. 8. ff. d. Tit.* adeo,  
ut id hæres actione pro socio repetere possit *l. 3. C. d. Tit.* hæresque  
incepta à defuncto perficere teneatur per *l. 40. ff. d. Tit.* ipsa tamen  
societas in hæredem non transit per *l. 59. ff. d. Tit.* licet pactum in-  
tercesserit, ut hæredes eam continuare teneantur *l. 35. & l. 59. dict.*  
*Tit.* modò ejusmodi pactū juramento non sit consummatū. *Gutti-*  
*rez. de Juram. Confrat. lib. 1. c. 48. n. 5.* Hæc, quæ diximus, obtinent  
in privatis societatibus: Societas enim vectigalium morte non  
rescinditur *l. 59. d. Tit.* Ex quo colligi potest, modum societatem re-  
scinditur per mortem non esse ex jure naturali, seu gentiū, sed ex  
mero jure positivo. *Hahn. ad VV. de Societ. n. 11.*

§. 4. Rescinditur societas maxima & media capitis demi-  
nutione *l. 63. §. f. ff. d. Tit.* non verio minima *l. 58. §. 2. d. Tit.*

§. 5. Rescinditur societas finito negotio, cujus gratia con-  
tracta est. §. 6. *J. de Societ.*

§. 6.



§ 6. Rescinditur, si bona socii sint 'publicata §. 7. *J. d. Tit.*  
vel socius adeò mole debiti sit gravatus, ut fiat bonorum suorum  
distractio vel cessio §. 8. *J. d. Tit. l. 4. ff. pro Soc.*

## CAP. XIV.

DE

## RESCINDENDO MANDATO.

§. 1.

**R**escinditur Mandatum 1. contrario mutuo consensu §. f. *J. Quib. mod. 10<sup>th</sup>.*  
*obl. cum sit contractus consensualis de negotio alicujus gratis gerendo, §.*  
*fin. J. de Mandat.*

§. 2. Rescinditur 2. mandatum per renunciationem mandatarii. §. 11. *J.*  
*de Mand.* Mandatarius enim pœnitere, & mandato renunciare potest, modò hoc  
fiat tempestivè, ita ut mandati eandem rem per alios exequendi integra sit causa  
*l. 22. §. f. ff. Mandat.* nisi justa causa intervenerit, ob quam renunciatio tempestivè  
fieri nò potuerit, ut sunt inimicitia capitalis, morbo &c. per *l. 23. 24. & 25. ff. d. Tit.*

§. 3. Rescinditur 3. mandatum à parte mandantis per revocationem. §.  
*9. J. de Mand.* quæ fieri potest, licet mandatum factum fuerit cum pacto jura-  
ro, ne revocetur. *Mozz. de Mandato. Tit. Quomodo annulletur mandatum num. 1.*  
Debet autem fieri hæc revocatio re adhuc integrâ, quando scilicet mandatario  
nondum capit interesse *l. 8. §. 6. ff. Mand.* Hinc revocatio non subsistit, si manda-  
tarius impensas fecerit, aut in judicialibus post litis contestationem revocatio  
facta sit per *l. 17. ff. de Procur.* An mandatum præsumatur revocatum, si man-  
dans non obstante mandato ipse in judicio compareat, & causam tractet? Vide  
*cap. 8. de Procurat. in 6.*

§. 4. Resolvitur mandatum 4. morte (nisi sit tale mandatù, quod post  
obitum mandantis demum expediri potest ut de monumento extruendo *l. 12. §.*  
*f. ff. Mandat*) tam mandantis, quam mandatarii *l. 26. pr. l. 27. §. 3. ff. & l. 15. C.*  
*Mand.* adeò, ut post mortem mandantis procurator non teneatur exequi man-  
datum, nec mandantis hæredes obligentur ratione ejus, quod post obitù man-  
dantis à mandatario est impletum per *dd. ll.* Quod tamen hodiè in mandatis  
judicialibus locum non habet, cum non tantùm per *Recess. Imper. de ao. 1654.*  
*§. Damit auch zum 17ten sed & in Electoratu Saxoniz, imò & in hoc nostro*  
*Inferioris Lusatiz Dicasterio* introductum sit, ut mandata judicialia etiam hære-  
dum nomine concipiantur, ne postea eos ad reassumendum processum de novo  
citare opus sit (*Carpz. in Proc. Tit. 6. art. 4. §. 8.* Mandatarii verò hæredes post eorum  
mortem mandatù exequi non tenentur, cum mandator mandantis fidem tantùm  
elegisse præsumatur *l. 57. ff. Mand.*

§. 5. Resolvitur mandatum deniq; finitâ causâ, propter quam mandatù  
factum est, uti exemplum habemus in *cap. 30. de Præbend. in 6.*


Hæc sunt B. L. quæ pro instituti ratione proponere licuit; Quæ fortè o-  
missa, Eruditionem tuâ suppleturâ, quæ verò minus accuratè & appositè posita,  
Candorem tuum interpretaturū esse haud dubito: DEo autem pro Clemen-  
tissimo in studiis adjutorio gratias ago immortales.

F I N I S.












Frankfurt a.d.O., Diss., 1676

X 242 1332


VD17











DISPUTATIO INAUGURALIS  
DE

# SCINDENDIS

TRACTIBUS NOMINATIS,

*QUAM*  
AUCTORITATE MAGNIFICI  
RECTORUM ORDINIS  
ILLUSTRI ACADEMIA VIADRINA.

PRÆSIDE  
REVERENDO SPECTABILI  
H. FRIDERICO RHETIO,

Summo ac Potentissimo Brandenburgico ELE-  
ctorali Consiliis, Ordinario Facultatis Juridicæ  
Decret. & Juris Publ. Profess. Publ.

HONORARIO AC PROMOTORE SUO MAXIME  
REVERENDO

PRO LICENTIA

UTROQUE JURE HONORES AC PRIVILEGIA  
DOCTORALIA RITE AC LEGITIME  
CONSEQUENDI

*Publico Eruditorum Examine  
submittit*

IN AUDITORIO JURIDICO  
ROBERTO LINDICKE,  
LUBEN. LUSAT.

*d. 6. Nov. boris ante & pomeridianis.*

Prelo Wichorns.

8 10.4

1676/6

10.